


## TITULUS XI.

## De Seminariis Clericorum.

## CAPUT I.

## Origo &amp; scopus Seminariorum.

1. Antiqua sunt Clericorum collegia sub directione Episcopi.
2. Decretum Synodi Toletana IV. de institutione horum collegiorum.
3. His collegis respondent Scholæ à Carolo M. instituta.
4. Ludovicus Pius ad instructionem similium Scholarum urget Episcopos.
5. Similiter Concilium Parisense.
6. Seculo 11. hæ Scholæ ubique flaccescere, & totaliter interire cœperunt.
7. Insaurationem earum petierunt Episcopi in Synodo Tridentina.
8. Synodi Trident. Decretum de erigendis Clericorum Seminariis.
9. Scopus Seminariorum ex mente Synodi.
10. Alumnus Seminariorum frequenter eorum finis exponendus.
11. Ratio institutorum Seminariorum à S. Carolo expressa.
12. Doctrina, ac præcipue pietati acquirenda incumbendum.
13. Nulli in Seminario educandi, nisi ad operandum in Ecclesiasticis functionibus.
14. Sanctus Carolus volebat educari simplices Sacerdotes.
15. Ad Seminarium admissi interdum ad expensarum restitutionem astringuntur, si in statu Ecclesiastico non perseverent.
16. Seminariorum alumni ab omni Beneficiorum ambitione debent esse alieni; idque ipsis maxime inculcandum.
17. Quæ à Confessario Seminarii præcipue inculcanda.
18. Qualis esse debeat Seminarii Confessarius.

**I.** im fuisse collegia sive Monasteria in quibus sub Episcoporum directione Juniores Clerici instituebantur, & à quibus tamquam Seminariis Ministros Ecclesiæ Episcopi assuebant, manifestum est ex Possidio in vita S. Augustini cap. 11. ubi scribit, Augustinum factum Episcopum, Monasterium Clericorum extruxisse, è quo ceu quodam Seminario ad varias Ecclesias viros doctos & exercitatos mittebat: quodque plures Episcopi, excitati exemplo Augustini, similia extruxerint.

De hoc suo Clericorum Monasterio pluribus egit S. Augustinus ad populum Hypponensem sermone 49. & 50. De Diversis; modum & institutum vivendi, quod tenere proposuerat, exponens; una declarans, quod statuisset, nullum ordinare Clericum, qui non secum in hoc Monasterio sive collegio vivere voluisset.

II. De similibus Clericorum collegiis sive Monasteriis agit Synodus Toletana IV. Can. 23. apud Gratianum *caus. 12. qu. 1. Can. 1.* "Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum: Nihil enim incertius quam vita adolescentium: ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero puberes, aut adolescenter existunt, omnes in uno conclavi atrii

commorentur: ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, à sacerdotali tutela foveantur, ut vita eorum à criminibus intacta sit, & res ab injuria improborum.

III. Hisce Clericorum collegiis respondent Scholæ, quas institui voluit Carolus M. ejusque Successores, reformandæ Ecclesiæ & Clericalis disciplinæ intenti. In his adolescenter ad Clerum aliquando promovendos sacris Literis, & Canonicis institutis sub Episcoporum regimine imbuere, & rite institui volebant.

De Carolo M. ita loquitur Concilium Cabilonense II. anno 813. *Can. 3.* "Oportet etiam ut sicut Dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, justitiæ & temperantiæ præcepit, scholas constituant, in quibus & literas solertia disciplinæ & sacræ Scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur, quibus merito dicatur à Domino vos estis sal terræ: & qui condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina non solum diversis hæresibus, verum etiam antichristi monitiis, & ipsi antichristo resistatur, & merito de illis in laude Ecclesiæ dicatur: mille clipei pendunt ex ea, omnis armatura fortium.

IV. Et Capitulare Ludovici Pii anno 813. admonitionem generalem continens ad utriusque ordinis homines, cum instructione Missorum Dominicorum quos Imperator in diversas provincias destinabat, de his scholis ad Episcopos ita loquitur: "Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ instruendos, edocendos, sicut nobis præterito tempore ad Attineacum promissistis, & vobis injunximus, incongruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.

V. Ex Concilio Parisiensi III. *lib. 1. cap. 30.* refertur in Additione II. ad Capitularia Regum Francorum *cap. 5.* "Inter nos pariter consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in scholis habendis & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi preparandis & educandis abhinc majus studium adhiberet. Et in hoc uniuscujusque studium volumus probare, & quando ad Provinciale Episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sint, & ejus solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.

Hæc omnia scholas Episcopales, id est, ab Episcopis institutas, atque ab eorum regimine ac directione dependentes spectant; de quibus latius Joannes Filescus de sacra Episcoporum auctoritate *cap. 15. §. 2.*

VI. Scholæ sive Collegia Episcopalia, in quibus juvenus ad statum Ecclesiasticum sub cura atque regimine Episcoporum formabatur, circa seculum 11. multum cœperunt flaccescere; tum ob varias Academiæ seu scholas publicas tunc erigi cœptas, tum injuriam temporum & desidiam Prælatorum: ita ut difficile esset ab anno millesimo usque ad Concilium Tridentinum proximè elapso seculo celebratum, præter scholas publicas, aut quasdam privatas in Monachorum vel Canonicorum Regularium Monasteriis, alias scholas Episcopales invenire, in quibus juvenus ad munia Ecclesiastica obeunda disponeretur, uti notat Ludovicus Thomassinus de Disciplina Ecclesiæ *parte 4. lib. 2. cap. 35. num. 1.*

VII. Hunc

VII. Hunc defectum Scholarum advertentes zelosiores Episcopi, huicque magna ex parte defectum bonorum Pastorum imputandum existimantes, in Synodo Tridentina instaurationem hujusmodi Scholarum postularunt; eorumque votum, ut medium reformationi Cleri opportunum comprobatum est; "adèd ut complures affirmarent, ubi nullus alius fructus ex eo Concilio decerptus fuisset, solum hunc labores omnes & incommoda commensuraturum; quippe unicum adjuvmentum, quod efficaciter ad reparandam collapsam disciplinam agnoscebatur: cum certa sit regula, in omni Republica tales haberi cives, quales educantur. "Ita refert Pallavicinus in hist. Concilii Trid. *lib. 22. cap. 8. num. 3.*

VIII. Hunc in finem Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 18.* statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum & Diocesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis, & Diocesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere ac religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituire te-neantur.

IX. Vult autem Synodus ut Episcopus ex pueris hic educatis & formatis "partim cum ei opportunum videbitur, Ecclesiæ ministerio addicat, partim in collegio erudiendos retineat, aliosque in locum educatorum sufficiat, ita ut hoc Collegium Dei Ministerium perpetuum Seminarium sit.

His verbis horum Collegiorum scopum expressit Synodus; ut nimirum ita in illis pueri nutriantur, & instituantur, ut tandem in Ecclesiæ Ministerio & operarios evadant; & Collegia sint revera Ministeriorum Ecclesiæ Seminarium; quod nomen ipsis à Synodo Tridentina inditum hæctenus retinent.

X. Sanctus Carolus præcipuus Seminariorum instaurator, cujus normam & exemplum Episcopi, qui Seminarium instituerunt pene in omnibus sequuti sunt, in suis Institutionibus Seminarii *parte 3. cap. 1.* de hoc Seminariorum scopo agens, ante omnia præmittit: "Adolescentes, qui singulari Dei beneficio sunt delecti, ut in Seminario instituantur, id potissimum intelligere debent, cujus gratiâ Concilii Tridentini Decreto Seminarium instituta sunt; & intelligentes, sæpius animo repetere, omnesque nervos intendere; ut illud divina ope suffragante; ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem; & Pastorum solatium consequantur.

XI. Deinde rationem institutionis Seminariorum subjungit: "Sunt igitur ea potissimum de causa Seminarium erecta ut in iis boni strenuque operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; & ii quidem adolescenter (qui ob ætatem, cum tenera sit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas in operibus virtutum erudiri debent) ut eam vite perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & severioribus disciplinæ legibus cœterendi.

XII. Post hæc infert, quod cum duo præcipue in Sacerdote & Pastore requirantur, probatis videlicet ac doctrinæ earum utraque in Seminariis sit comparanda.

"At sicut probitatis major est necessitas (ait) quam doctrinæ; sic illis in ejus studio magis est elaborandum: cum præsertim acquisitio virtutum, in uniuscujusque assiduitate & industria, potius quam in Rectorum, aut præceptorum diligentia sit posita; ita ut nisi quis laborem adhibeat, non multum aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

Quamobrem unusquisque sit ea mente ac voluntate, idque sibi quotidie proponat, ut omnino velit in bonum Ministerium pro hujus Ecclesiæ Mediolanensis adjuvamento evadere; sequæ Deo juvante, purum ab omni peccati labe

conservare; sic enim affectus, multò facilius Doctrinæ cognitionem accipiet, majore tum suo, tum cæterorum emolumento; Beneficiumque magnitudinem agnoscens, quod illi tam præciara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat; rogetque ut se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium.

Martinus Richovius Episcopus Iprensis in sua Synodo anno 1577. *tit. 23. cap. 5.* postquam normam docendi & instituendi juventutem in Seminario proposuit, subjicit: "Omnis autem institutio in hac Schola, eo principaliter dirigatur, ut qui instituendi suscipiuntur, in timore Dei foveantur; & in bona voluntate ministeriis Ecclesiasticis sese mancipandi confirmantur: ut cum ætate aliterarum, scientia ad virtutum & gratiarum proficiant incrementa, jactaque in eis semina, tandem in agro Domini, fructus referant copiosos.

XIII. Imò unicum esse Seminariorum scopum, ut in eo Operarii in messem Dominicam mittendi formentur, ita Carolo persuasum erat, ut declaret, "quod si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiam si de Religione ingredienda cogitaret, de eo Reverendissimum Archiepiscopum, vel Rectorem certiore faciat, Peccaret enim (ait) si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro hujus Ecclesiæ auxilio sustentandos est constitutum.

XIV. Eundem in finem monet *parte 1. cap. 2.* quod si sint qui aliqua ratione non ostendunt, se idoneos Sacerdotes ad animarum curam evadere posse, è Seminario dimittantur: "Cum (ait) non ea de causa sit institutum, ut in eo simplices Sacerdotes sibi tantum utiles futuri educantur.

XV. In nonnullis quoque Diocesisibus, ingrediens Seminarium juramento promittere debet, "se nunquam ad aliam vitæ rationem discessurum, sed perpetuo Ecclesiæ Christi fideliter inservitutum in eo gradu & ordine, qui à Reverendissimo Domino Episcopo ipsi assignabitur; ita Synodus Burdigalensis anno 1583. De institutione & legibus Seminariorum, quæ extant ad calcem Synodi *tom. 15. Concil. generalium pag. 992.* additque: "quod in ipso ingressu tenebitur duos ex propinquis suis Episcopo sistere qui pro eo caveant ac hedejubeant, se pensionem illius, periculuros pro tempore, quo in Seminario vixerit, si in ordine & statu Ecclesiastico perseverare nolit nisi aliud, juxta de causa Episcopo visum fuerit.

XVI. Quamvis autem Seminariorum alumni ad statum Ecclesiasticum & curam animarum destinentur, ipsi tamen ab omni ambitione & aviditate Beneficiorum & rerum temporalium alieni esse debent, sæpe animo repetentes, quod in ipsa Tonfuræ Clericalis susceptione verbis fuerit professi: *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi*: quali dicent, se in militia Christi non aliam hereditatem seu partem vel mercedem, quam Dominum expetere aut expectare.

Unde monet S. Carolus *parte 1. cap. 1.* "ut detur opera præcipue in sermonibus & confessionibus, ut omnis ex Clericorum mentibus fitis & aviditas Beneficiorum tollatur; ac proinde videatur, ut ea de re ipsi quidem inter se colloquantur; ac iis sæpius inculcetur, quam averfi ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant.

XVII. Monet quoque Seminarii Confessarium: "Studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriæ voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inferere; internascencia opimorum beneficiorum, vel divitiarum desideria, salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat; solam denique illis Dei gloriam, & animarum salutem procurandam esse doceat, & expetendam.

Hæc *parte 2. cap. 4.* quod de officio Confessarii inscribitur, atque ante omnia præmittit, "Confessarius

„Seminarii illud secum reputet, ex se rectaque sui muneris  
„administratione pendere eorum, qui in Seminario vivunt,  
„in omni virtute progressum.  
„Quare turpe sibi fore, nisi ita vivat, & in omni vite  
„parte ita se gerat, ut ex ipsius vita moribusque, omnis vir-  
„tutis atque officii exempla peti possint.  
„Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, cha-  
„ritate, officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem  
„tueatur.  
„Familia totius pax & concordia ejus curæ sit: quare  
„animorum offensiones, si quæ suborianatur sedare conse-  
„stim omni ratione studeat.  
„Vitam, & mores uniuersumque quantum fieri possit,  
„exploratos habeat; ut vel ad officium revocare errantes,  
„vel in via Domini incitare ingreßos possit.  
„Merito hæc attendunt Seminariorum & Collegiorum  
„Intendentes, ut sollicitè pios, zelosos atque eruditos suis al-  
„umnis Confessarios procurent; cum inde magna ex parte  
„Seminariorum & Collegiorum fructus dependeat.

## CAPUT II.

## Qui ad Seminaria admittendi.

1. *Quales ad Seminarium admittendi ex Decreto Synodi Tridentinae.*
2. *In admittendis magis morum probitatem quam ingenium attendi voluit S. Carolus; rigidumque examen instituit.*
3. *Decretum Synodi Cameracensis circa admittendos.*
4. *Pauperes sumptibus Seminarii admittendi, divites propriis sumptibus.*
5. *Qui se pauperes esse mentiti sunt, à Seminario expellendi.*
6. *Ad qua ex Decretis Synodalibus Belgicis Seminarista se obstringere debeant.*
7. *Cura spiritalis Seminariorum primario Episcopis est commissa.*
8. *Episcopus in directione Seminarii duos Canonicos in consilium adhibere debet.*
9. *Scopus visitationis Seminariorum per Episcopum instituenda.*
10. *Forma visitationis quam tenuit S. Carolus.*
11. *Quid Seminarium à S. Carolo institutum fuerit oportet.*
12. *Singulis Seminariis præficiendus Rector sive Praeses.*
13. *Hujus officium describitur.*
14. *Synodus Tridentina supponit in Seminariis esse plures diversarum scientiarum magistros.*
15. *In Seminariis S. Caroli quales essent, & in Belgicis esse soleant.*
16. *Synodi Belgica Theologia studiosos ad Seminarium admitti dumtaxat desiderant.*
17. *Fructus Seminariorum præcipue dependet à Professoribus.*



Synodus Tridentina in suo de erectione Seminariorum Decreto vult, ut „in hoc „Collegio recipiantur, qui ad minimum „duodecim annos, & ex legitimo matri- „monio nati sint, ac legere & scribere „competenter noverint, & quorum indoles & volun- „tas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuo in- „servituros.

II. Sanctus Carolus volens è Seminariis fructum am- „plum colligere; sciensque quam facile à malis & discolis „eorum pantur etiam boni, inter alia monuit *parte 1. cap. 9.* „*Institutionem Seminarium*, quod „maxima cautio adhiben- „da sit in eo præcipue, ut idonei Clerici in seminarium „recipiantur; neque solum ingenium, & habilis ad studia „litterarum, functionesque Ecclesiasticas exercendas; sed

„multò magis *morum ac disciplina* in singulis ratio ha- „beat. Quales enim (ait) ii fuerint qui admittentur, tales „profurè à Seminario fructus existant.

Normam examinis quam in admittendis ad Semina- „rium teneri voluit, subjicit; quam merito Episcopi alique „quibus admittendorum ad Seminaria cura incumbit, ex- „pendent & imbunt.

III. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 10.* de re- „ceptione studiosorum hæc habet: „Studiosi sint omnes vi- „ginti annorum pietate & eruditione commendabiles, & „habito delectu ingeniorum & doctrinæ ad Seminarium „per concursum à singulis Episcopis in suis diocesisibus „cum dictis Capituli & Clerici deputatis, aut eorundem „subituri celebrandum astuantur, & pauperum filii ac „commendati à contribuentibus dicto Seminario cæteris „paribus aliis præferantur, sintque ex legitimo matrimonio „nati, non claudi, non in manibus aut alia corporis parte „notabilem defectum habentes, Quod si aliqui sint qui in- „tegram butfam contribuant, habebunt jus præsentandi „idoneum sine concursu.

IV. Pergit deinde Synodus Trident. „Pauperum autem „filios præcipue eligi vult, nec tamen divitum excludit, „modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant, Deo „& Ecclesiæ interveniendi.

V. Synodus Remensis anno 1583. *titulo de Seminariis* „*num. 12.* voluit: „Si fraude aliqui divites fuerint in Semina- „rium intructi, & post professionem egestatis tales fue- „rint reperti, expellantur, tamquam mentiti Spiritui San- „cto, & egenorum hereditatem invadere non veriti, sum- „ptus jam factos pro ratione temporis Seminario refun- „dere cogantur.

VI. Similia occurrunt in Synodis Belgicis. Synodus P. II. „Cameracensis *tit. 21. cap. 17.* ait: „Singuli autem studiofo- „rum in sua ad dictum Seminarium assumptione jurent se, „cum idonei inveniuntur, id muneris in Ecclesia Dei subitu- „ros; quod si Episcopus illis injungendum existimave- „rit; alioquin refundent sumptus quos fecerint in Semina- „rio, pro quo dabunt fidejussores, promittentque cum ad „pinguiorem fortunam devenerint, se memores futuros „accepti beneficii, & in communem ejusdem Seminarii uti- „litatem aliquid liberaliter elargituros.

Diocæsana Mechliniensis anno 1690. *tit. 20. cap. 4.* „vult „quoque, quod singuli in sua ad Seminarium assumptione „declarent, se habere animum ad statum Ecclesiasticum; „& insuper promittent se, cum idonei inveniuntur, id mu- „neris in Ecclesia Dei subituros, quod nos ipsis injunge- „mus, aut refuturos expensas, quibus Seminarium affece- „rint. *Ex cap. 5.* Promittent etiam, si ad pinguiorem for- „tunam devenerint, se in memoriam accepti beneficii Se- „minarium de bonis suis temporalibus adjuvatos.

Denique *cap. 6.* declarat: „quod simulatque per æta- „tem, scientiam, & aliis idonei fuerint, ut fiant Subdia- „coni, Diaconi, & Sacerdotes, ad eosdem Ordines se com- „ponent & jussu suscipient, & in susceptis diligenter mini- „strabunt.

Similia in aliis Synodis passim statuuntur, & injun- „guntur.

VII. Curam Seminarium, atque auctoritatem præscriben- „di leges & vivendi modum Synodus Tridentina Episcopis „committit; ut potè quorum præcipue interest, ut strenui „operarii in Seminariis formentur.

Postquam enim nonnulla, quæ tum ad instructionem „juventutis, tum ad morum disciplinam ac pietatem for- „mandam conducere possunt, præmiserat, subjungit: „Quæ „omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & necessaria, „Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum se- „niorum & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus „Sanctus suggesserit, constituent: eaque ut semper obser- „ventur, sæpius visitando operam dabunt. Dyscolos, & „incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter „punient: eos etiam, si opus fuerit, expellendo: omniaque „imp-

„impedimenta auferentes, quæcumque ad convertendum „& regendum tam pium & sanctum institutum videbun- „tur pertinere, diligenter curabunt.

Hinc manifestum est, Episcopi directioni ipsum spiritua- „le Seminarium regimen, atque puerorum educationem & for- „mationem esse præcipue concedita.

VIII. Vult quidem Synodus ab Episcopo eligi duos Ca- „nonicos seniores & graviores, de quorum consilio in hoc „spirituali Seminario regimine procedat; & eorum consilium „petere & audire tenetur; sed sequi non jubetur: potestque „Episcopus eorum consilio adhibito statueret, & declarare, „quæ providentia sua magis expedire judicaverit; quemad- „modum declarasse S. Congregationem refertur ad calcem „Decreti Concilii Tridentini *De Seminariis*; extat quoque „apud Zerolani in praxi Episcopali *parte 1.* Verbo *Semi- „narium*.

IX. Scopus visitationis Episcopalis esse debet, assequi „ipsius Seminarium, tam quoad temporalia, quam spiritualia „perfectam notitiam; ac præcipue ipsorum puerorum sive „alumnorum mores, profectum in studiis & pietate; quem- „admodum in institutionibus Seminarium à S. Carolo præ- „scriptis deducit *parte 1. cap. 8.* quod *De Visitacione* in- „scribitur; ubi inter cætera statuitur, ut „hebdomada Resurre- „ctionis, ac circiter festivitatem Nativitatis B. V. Reveren- „tissimus Archiepiscopus adhibitis in consilium Deputa- „tis, generalem visitationem habeat; in qua delibere, quæ „ad Clericorum ejusdem Seminarii institutionem, discipli- „nam, mores, studiorum progressionem, rerumque tempo- „ralium administrationem attinent.

Deinde ut Archiepiscopus „certior fiat à Rectore de dis- „ciplina & moribus cujusque, ac singulos separatim allo- „quat; quæ sit eorum mens, quis sensus, quam in voca- „tione stabilis, inquirat, ac si quid aliud præterea scire vo- „luerit.

X. De ipso S. Carolo in ejus vita legitur, quod bis per an- „num institueret generalem Seminarium sui visitationem; eam- „que adeo exactam, ut ipsemet annotaret singulorum stu- „dentium ætatem, parentes, patriam, patrimonium, qualita- „tes tam corporis, quam spiritus, atque eorum in scientiis „progressum; ut ipsos pro ratione scientiæ faceret de una ad „alteram classem ascendere; eosque pro cujusque capacitate „ministeriis suæ Diocæsibus applicaret. Præ cæteris autem se „informabat, quis esset studiosorum progressus in pietate, in „Oratione mentali, exercitio virtutum Clericalium; item de „iporum tentationibus, & anxietatibus & pœnis interiori- „bus; ut tepidiores ad fervorem excitaret: retineret verò qui „zelo præcipiti & indiscreto ultra suas vires progredi vole- „bant; si quos videbat tentationibus quibusdam agitados, & „quasi ad lapsum propensos, eos fortificare & animare sata- „gebat. Verbo omnibus omnia factus, omnes lucrari sata- „gebat; & quos suavitatem ac benignitate, crebraque moni- „tione lucrari non poterat, penitentiarum impositione tan- „dem probabat; aut ad aliud Seminarium mittebat, vel alicui „bono Sacerdoti confidebat, qui eum in domum suam „reciperet, & specialem curam ageret.

XI. Hæc Goudæus Episcopus Vencensis in vita S. Ca- „roli Galliæ scripta *lib. 1. cap. 12.* qui fufius zelum hujus „Archi-præfule in directione Seminariorum ibidem enarrat; „atque una notat, quod ut primum hoc pium opus aggressus „fuisset Carolus, diabolus prævidens fructum ex hac re- „cta Seminariorum institutione proventurum, rumorem „spargere coepit hæc Seminarium esse carceres, quibus Caro- „lus teneret juvenes inclusos; quodque fierent hecicus ex- „nium vigiliis, jejuniis, & occupationibus seu exercitatio- „nibus spiritibus: atque hic rumor multos adolescentes ab in- „gressu primum retraxisse: At illius fallitate sanis detecta, „non tantum pauperum, sed & magnatum & divitum proles „admitti postulasse; atque admissionem ipsam beneficii loco „reputasse.

Hinc discant Episcopi alique Seminariorum & Colle- „giorum directores, à recta & pia juventutis institutione dis-

„ciplinaque ob hujusmodi malevolorum rumores, non esse „desectendum, aut remittendum.

XII. Verum quia Episcopi variis Ecclesiæ negotiis di- „stracti, nequaquam possunt per se semper Seminarium in- „tendere, ac Seminariorum curam habere, singulis Semina- „riis necessarius visus est Præfectus aliquis, quem S. Caro- „lus in suis Institutionibus vocat *Rectorem*, nos verò ple- „rumque *Præsidentem* Seminarii vocare solemus.

Huic primatia post Episcopum & sub Episcopo cura & „directio Seminarium incumbit, atque ab illo dependere „solet ipsius Seminarii bona vel mala disciplina & insti- „tutio.

XIII. In sæpe citatis Institutionibus Sancti Caroli *parte* „*2. cap. 2.* de Rectore scribitur: „Illud sæpius Rector animo „repetat, quam grave suis humeris onus incumbat; cum ab „eorum qui in Seminario vivunt recta institutione, totius „Diocæsibus reformatio pendeat.

„Quapropter, ut qui illius fidei commissi sunt, eos è Se- „minario fructus percipiant, quos Ecclesia sancta, ac Tri- „dentinum præcipue Concilium sibi proposuit; quam di- „ligentissime curet, ut in se ipso eas ad vivum virtutes ex- „primat, quas in clericis requiret; ita ut qui illi subiecti „sunt, in eo tamquam in speculo expressam videant ejus „vitæ imaginem, quæ illis omni studio sit effingenda: me- „meritque, exemplum vivam esse doctrinam; nec ipsi „minus cum taceat, quam cum loquatur, esse alios ad pie- „tatem incitandos.

„Divinæ in primis gloriæ amplificationem, clericorum „in omni virtute perfectionem semper ante oculos ha- „beat, & ad eum finem omnes cogitationes referat, & „curas.

„Studeat, ut quæ ad spirituales progressum spectant, „rectè atque ordine administrantur; ut quotidianæ, aut „alias statæ exercitationes, nisi necessaria de causa non in- „termittantur.

„Curam omnium collegiorum ejusdem Seminarii pri- „mam & præcipuam habeat. Hæc S. Carolus latius ibi- „dem officium Rectoris sive Præsidentis Seminarii descri- „bens.

Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 9.* vult, ut „Seminarium ipsum uni Rectori seu Præsidenti commit- „tatur... qui sit Sacerdos sacre Theologiæ aut Decreto- „rum Doctor aut Licentiat.

XIV. Præter Rectorem sive Præsidentem, cui primaria sub „Episcopo Seminarium cura & directio incumbit, debent in- „super esse plures inferiores Officiales & magistri, qui juven- „tutem erudienda, tum instituenda intendunt.

Et quidem Synodus Tridentina volens, ut admissi ad „Seminarium grammaticæ, cantus, computi Ecclesiastici, „aliarumque bonarum artium disciplinam discant: Sacram „Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, at- „que Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad con- „fessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac „cæremoniarum formas ediscant, lat patenter declarat, se de- „siderare, ac quasi supponere, in Seminario futuros Profes- „sores, non tantum qui Sacram Scripturam, & Theologiam „prælegant: sed & qui Grammaticas aliarumque bonarum „artium fundamenta tradant: uti rectè notavit Zypæus „*Consult. 3. De Magistris num. 8.*

XV. In Seminario Sancti Caroli non tantum Theologiæ, „sed & humaniorum ac Philosophiæ Professores fuisse, ex „Institutionibus Seminarii patet, atque idcirco & *Præfatus* „*studiorum* erat, qui rei litterariæ præset, & curaret, ut ju- „venes leges Seminarium ad studia spectantes inviolatè serva- „rent de quo *parte 2. cap. 5.* dictarum Institutionum.

Hic in Belgio licet in quibusdam Seminariis etiam ha- „bitent pueri studiis humanioribus incumbentes, nequa- „quam tamen hæc scientiæ in Seminariis tradi solent, sed pas- „sim ad lectiones que aliis in Scholis habentur exeunt, & „humanioribus absolutis pro ediscenda Philosophia ad A- „cademias mittuntur.